



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Quæ sit communis ratio seu essentialis modus qualitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

SECTIO I.

Quæ sit communis ratio, seu essentialis modus
qualitatis.

Difficile quidem est in comuni exponere in quo consistat ille modus, & quasi differentia contrahens seu determinans accidens in communi ad esse qualitatis, & distinguens illam à ceteris generibus accidentium. Vnde Arist. in 5. Met. nullam eius communem definitionem adhibet in Prædic. vero, *Qualitatem* (inquit) dico, quæ quales quidam dicuntur. Quæ definitio, licet ea ratione essentialis videatur, quod datur per habitudinem ad effectum formalem, quem omnis forma essentialiter respicit: tamen quod ad nos spectat, æque obfcura nobis manet propria ratio qualitatis. Sicut si definiretur quæ sit illa à qua dicitur quanti, licet confuse indicaretur effectus & denominatio quantitatis, tamen æque ignotum maneret, quid in nobis sit esse quantum vel quid conferat quantitas rei quantæ. Ita ergo in præsentia æque ignotum manet quid sit esse quale, seu quis peculiaris modus affectionis per hanc vocem explicetur. Percontanti enim quid sit quale, bene etiam respondetur esse id quod qualitate affectum, vel constitutum est: tamen, nisi alia via supponatur, ut notum, quid sit qualitas, tota res æque ignota relinquitur. Adde interdum obscurissimum esse discernere an res denominetur qualis, necne, aliqua denominatione, ut dicitur homo amans aut videns, nec tamen autem est illa denominatio sit qualis, vel alterius rationis: cum autem res dicitur sapiens, in creatura censetur denominatio qualis, non vero in creatore. Item cum res dicitur alba, est denominatio qualis, cur ergo non eadem erit cum dicitur dealbata? aut quæ potest huius rei differentia assignari?

Variæ descriptiones qualitatis in communi.

Aliqui ergo conati sunt communem aliquam rationem qualitatis declarare variis modis; & primo dici solet, qualitatem esse accidens absolutum consequens formam. Quæ ratio fumi potest ex communi sufficientia prædicamentorum accidentium, in qua supponitur, accidens absolutum & intrinsece inherens, si consequatur materiam, esse quantitatem, si formam esse qualitatem, ut patet ex D. Thom. 5. Met. lect. 9. & 3. Phys. lect. 5. & 3. p. q. 77. art. 2. & in 4. d. 12. q. 2. & ibi Scotus q. 2. & aliis authoribus frequenter. Sed contra hoc obijci potest, quia etiam actio sequitur formam. Hoc tamen non multum urget, quia actio non sequitur formam ut inherens, sed ut emanans: qualitas autem dici sequitur formam ut inherens ipsi, vel compositio ex ipsa quatenus tale est. Magis videtur obijci, quia quædam sunt qualitates, quæ non consequuntur formam, sed materiam, ut figura: alia quæ nec materiam nec formam consequuntur, ut lumen aeris, v. g. Alia denique sunt accidentia comitantia formam, quæ non sunt qualitates, ut naturalis locus & motus in illum, & situs, & multi etiam putant, quantitatem sequi formam: & saltem quoad terminum magnitudinis seu paritatis, id est clarum, præsertim in viventibus.

Alii dicunt, qualitatem esse modum substantiæ determinantem potentiam eius ad peculiare esse accidentale. Hæc sententia sumitur ex D. Thom. 1. 2. q. 49. art. 2. ubi sic ait, *Proprie qualitas importat quandam modum substantiæ: modus autem, teste Augustino, est quem mensura præfigit: unde importat quandam determinationem secundum aliquam mensuram: & ideo sicut id secundum*

Tom II. Metaphys.

dum quod determinatur potentia materia secundum esse substantiale, dicitur qualitas quæ est differentia substantiæ. ita secundum quod determinatur potentia subiecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis. Vnde videtur D. Tho. communem rationem qualitatis colligere, *Qualitas est modus seu determinatio subiecti secundum esse accidentale*. Statim vero sese offert obiectio, quia cum dicitur qualitas modus substantiæ, si modus sumatur in eo rigore in quo à propria entitate accidentali distinguitur, falsa est assumptio: nam constat plures, aut fere omnes qualitates esse proprias entitates efficietes substantiam: si vero sumatur latius (ut reuera sumitur) pro forma determinante capacitatem subiecti, sic dehnitio illa non solum qualitati, sed etiam quantitati conuenit: imo & ceteris accidentibus, præsertim proprie inherens: nam etiam quantitas determinat subiectum secundum esse accidentales & passio, & ubi, & situs. Quam obiectionem videns Caietan. super dictum locum, inquit: illa verba non esse vniuersaliter sumenda, sed limitate, quia non est sermo de determinatione accidentali absolute, sed de illa, quæ commune nomen accidentalis differentie, qualitatem scilicet sibi usurpauit. Sed hoc ipsum est, quod inquirimus, quænam sit illa determinatio, quæ illo nomine significatur. Neque illud de accidentali differentia est vniuersale, nam interdum potest accidentalis differentia sumi ex actione vel passione.

Alii ergo putant, hanc communem rationem non posse à nobis explicari per positivam differentiam, quia non cognoscimus propriam rationem qualitatis, sed per negationem posse declarari ad eum modum, quo Arist. in hoc c. dixit, *Omnino id quod præter quantitatem in substantia inest, esse qualitatem*, quamuis enim ille de numeris specialiter loquatur, nos id possumus extendere ad omnes substantiæ qualitates, subintelligendo omne id absolutum, quod inest in substantia secundum se, & in esse quieto & perfecto esse qualitatem, ut ita excludantur tam relationes, quam omnia vlcima prædicamenta. Atque hæc expositio probabilis est.

IV.

Aliquorum sententia.

Questionis resolutio.

Possumus autem amplius rem hanc declarare dicendo, cum omnia accidentia sint aliquo modo affectiones substantiæ, eique adiungantur, ob aliquam eius imperfectionem, vel ad supplendum aliquem defectum eius, qualitatem in hoc genere hoc habere peculiare, quod per se primo instituta est ad ornandam intrinsece, & perficiendam substantiam, ut conuenienter affecta in suo esse, vel in virtute agendi. Quantitas enim data est substantiæ corporeæ ad hunc peculiarem effectum, qui est habere molem corpoream, & extensionem, ac impenetrabilitatem partium. Relationes vero (si quid sunt) non per se intenduntur, sed resultant, quia in sola habitudine consistunt. Actio item & passio, solum sunt viæ ad terminum, & actio, ut actio, impropriissimam habet rationem accidentis: passio vero non tam est perfectio, quam via ad perfectionem substantiæ. Reliqua vero quatuor prædicamenta, vel sunt improprie accidentia, adiacentia potius, quam perficientia substantiam, vel si aliquid est extrinsecum, ut ubi, solum est modus quidam consequens limitationem eius, potius quam aliquid ei additum ad consummandam perfectionem eius. Qualitas ergo esse videtur accidens quoddam absolutum, adiunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis eius, tam in existendo, quam in agendo. Nam quia substantia creata valde limitata est, non potest per se ipsam habere complementum perfectionis. Ad hunc ergo finem primario instituta est qualitas: & ideo ex suo genere est perfectissimum omnium accidentium: comitaturque substantiam creatam, hoc ipso quod

Kk 2 talis

talitatis est: & non tantum secundum aliquam peculiarem rationem.

Hinc etiam recte exponi potest, cur qualitas peculiari ratione dicatur consequi formam, nam quia forma est quæ complet ac perficit essentiam rei, & confert principalem vim agendi, ideo qualitas quæ adiungitur ad complementum utriusque perfectionis, dicitur consequi formam siue per emanationem, siue per quandam convenientem proportionem. Nec refert, quod aliquæ qualitates sint disconuenientes aliquibus subiectis: nam per accidens in eis existunt: per se autem institutæ sunt ad complendam perfectionem alicuius substantiæ. Vnde etiam figura licet secundum materialem capacitatem & entitatem videatur consequi quantitatem, tamē quatenus pertinet ad ornamentum substantiæ, & aliquo modo deferuire potest ad actiones, vel naturales motus, formam consequitur. Quantitas vero peculiari ratione dicitur consequi materiam, quia materia est prima radix huius molis corporeæ, ad quam constituendam vel complendam peculiari modo quantitas ordinatur.

Rursus iuxta hanc peculiarem rationem intelligendum est, cum dicitur qualitas esse modus substantiæ determinans potentiam eius ad aliquod esse accidentale secundum debitam mensuram. Intelligendum est enim de esse accidentali intrinseco, & absolute, & per se ordinato ad complementum perfectionis formalis (ut sic dicam) ipsius substantiæ. Et ob eandem causam huic accidenti per Antonomaliā tributum est nomen qualitatit. Nam qualitas dici solet omnis res, quæ per modum actus & formæ aliā afficit, vel determinat, & simpliciter dicta explicat aliquid extra substantiam rei, illam modificans, & ideo peculiari ratione tributum est hoc nomen huic generi accidentium, quod ex sua ratione habet hoc peculiare munus, prout declaratum est.

Et ex eadem radice provenit, ut omnes differentiarum rerum quæ per propriam essentiam assignari non possunt, per qualitates regulariter assignentur: nam hæc sunt quæ quodammodo complent res creatas in suo esse perfecto. Et quamvis interdum huiusmodi accidentales differentie ex affectibus vel actionibus sumantur, id solum est in quantum his, diuersæ rerum qualitates aut proprietates indicantur. Denique si penes infinitam qualitarum varietatem consideremus, ex quarum conuenientia communissimum genus qualitatit abstrahendum est, facile, ut existimo, intelligemus non posse à nobis aliter declarari, in quo illa generalissima conuenientia consistat. Est ergo utrumque explicata hoc modo communis ratio qualitatit, & alij modi hoc explicandi fere ita sunt in concordiam redacti, ut noua difficultas in hac declaratione non occurrat.

SECTIO II.

Utrum qualitas in quatuor species conuenienter & sufficienter diuisa sit.

I.



Aristoteles tacite diuidens qualitatem in predicamentis, quatuor eius numerat species, vnamquamque earum bimembrem, vel binomiam constituens, scilicet habitum & dispositionem: naturalem potentiam & impotentiam, passionem & passiuam qualitatem, figuram & formam. At vero lib. 5. Met. c. 14. obscurius tradit diuisionem: quia naturalem potentiam & impotentiam omisisse videtur, nisi eam sub virtute bene vel male operandi comprehendisse intelligamus. Figuram etiam in numeris tantum explicat & rebus immobilibus, id est, Mathematicis, specialiter illam attribuit. Ac denique illam qualitatit acceptionem reuocat potius ad eam significationem, quæ dicitur de differentia substanti-

ali. In quo vel loquitur iuxta dogma Pythagoricum, quod res Mathematicæ sint re ipsa separatæ & immobiles, vel certe loquitur de his rebus prout considerantur à Mathematicis, qui de his considerant ad modum substantiarum, & has qualitates cogitant ut differentias substantiales earum, sicut Diuus Thomas interpretatur. Diuisio ergo data in predicamentis magis perspicua est, & ideo illa est communiter recepta, ac proinde est à nobis explicanda. In eius autem explicatione ea, quæ breuiter expediri possunt, tam in communi quam in particulari, hincattingemus: nonnulla vero quæ longiorem tractationem requirunt, in proprias disputationes referuabimus.

Prima difficultas de amplitudine diuisionis.

Quatuor autem præcipue difficultates in hac diuisione occurrunt. Prima est, quia multe res sub illis membris seu terminis comprehendi videntur, quæ qualitates non sunt. Nam habitus speciale predicamentum constituere dicitur: dispositio ad finem etiam pertinet, nam sedere aut stare quædam corporis dispositio est. Quod si dispositio comparative dicatur, quatenus vna res ad aliam disponit, sic etiam quantitas est dispositio materiæ ad formam, vel alia accidentia recipienda, & actio seu operatio est dispositio ad virtutem, vel motus ad valetudinem, vel passio ad corruptionem. Rursus potetia si sumatur passiuam indifferens est ad substantiam, quantitatem, &c. imo multi censent vagari per omnia genera, ita ut in vnoquoque sit propria potentia passiuam proprio actui correspondens. Si vero sumatur pro uagandi, etiam substantia per se ipsam est potetia ad agendum, ut inter disputandum de causa efficiendi dictum est. Impotentia vero, cum sit priuatio quædam immerito inter qualitates numeratur. Præterea passio proprium predicamentum à qualitate distinctum constituit: quod si non pro ipsa via, sed pro termino passionis sumatur, non solum qualitas, sed etiam quantitas, & ubi erunt passionis; quia per phisicas passionis sunt. Quid vero addat passiuam qualitatem supra communem rationem qualitatit obcurisissimum est. Nec minus occultum est, quid in quarta specie significetur nomine formæ, cum hæc vox communis sit non solum qualitatibus omnibus, sed etiam accidentibus, & substantialibus formis. Denique figura, cum solum sit quidam terminus quantitatit, & modus eius, potius ad quantitatem reducenda videtur.

Secunda difficultas de distinctione illorum membrorum.

Secunda difficultas est, quia hæc ipsa membra prout ad qualitatem pertinere possunt, non videntur esse satis inter se distincta, sed confusa, & permixta. Nam habitus sæpe est actiuus: ergo ea consideratione habet veram rationem potentie: nam ex actione optime inferitur potetia: ergo eo modo, quo habitus agit, habet potentiam, seu est potentia agendi. Quæ difficultas maxime locum habet in quibusdam habitibus, de quibus Theologi docent conferre potestatem agendi, ut sunt habitus per se infusi, & immulorum opinione character. Species etiam intelligibiles, & sensibiles poterunt in hoc ordine poni, quia conferunt talem vim agendi, ut sine illa non possit fieri actus. Nec refert, quod illa virtus partialis sit, scilicet quia in suo genere, id est, ex parte obiecti, dici potest totalis: tum etiam, quia simpliciter loquendo, etiam virtus intellectus vel sensus est partialis, & nihilominus illæ qualitates absolute dicuntur potetie. Præterea inter eas qualitates, quas Aristoteles vocat passiuas,